RECTOR

COMMILITONIBUS

CERTAMINA ERUDITIONIS

PROPOSITIS PRAEMIIS

IN ANNUM MDCCCLX

INDICIT.

PRAEMISSA EST **ANTONII WESTERMANNI** QUAESTIONUM LYSIACARUM PARS PRIMA.

LIPSIAE,
PROSTAT APUD A. EDELMANNUM,
BIBLIOPOLAM UNIVERSITATIS.

Quaestionum Lysiacarum

PARS PRIMA.

In Lysiam emendandum etsi certatim nostra aetate docti homines idque, praesertim ex quo qua ratione hoc in scriptore tractando procedendum sit perspectum est, non frustra sane operam studiumque contulere, tamen multum adhuc abesse ut absoluta res dici posset qnum ab aliis intellectum est, tum ego nuper expertns snm, quum selectas eius orationes commilitonibus exponebam. Saepius enim quam ipse exspectaveram aut librorum auctoritas a coniecturis mihi erat defendenda, aut verbis corruptis quidem sed non recte emendatis nova indaganda emendatio, aut vitiis non modo persanatis sed adhuc ne animadversis quidem circumspicienda medicina. Quod quo iure quoque successu fecerim, ex eis quae iam exempli caussa in medium proferam iudicent alii.

Exordiar ab oratione XIII, quae est **in Agoratum**.

§. 11. *ἐκεῖνος μὲν οὖν ἐλθὼν εἰς Λακεδαίμονα ἔμεινεν ἐκεῖ πολὺν χρόνον, καταλιπὼν ὑμᾶς πολιορκουμένους, εἰδὼς τὸ ὑμέτερον πλῆθος ἐν ἀπορίᾳ ἐχόμενον καὶ διὰ τὸν πόλεμον καὶ τὰ κακὰ τοὺς πολλοὺς τῶν ἐπιτηδείων ἐνδεεῖς ὄντας.* Ferri quidem posset *διὰ τὰ κακὰ καὶ τὸν*

πόλεμον, ut est or. VI. §. 47 (*ἀναμνήσθητε ἐξ ὅσων κακῶν καὶ πολέμου ὑμᾶς αὐτοὺς περιεποιήσατε*): non potest ferri *τὰ κακὰ* sic simpliciter postpositum. Nam ipsum quoque bellum malum est. Diversa autem a bello mala si Lysias in mente habuisset, *ἄλλα* addidisset. Itaque sine dubio de ipsis belli calamitatibus cogitandum est, quod quum sua sponte non appareat, dicendum erat necessario. Sensit hoc Reiskius, qui *τὰ τούτου κακὰ* corrigendum censuit. Malim *τὰ κατ' αὐτὸν κακά*. Scilicet a *κατ'* librarii oculus ad *κακὰ* aberrare facile potuit. Quin etiam in libris quod sciam omnibus hoc ipso loco *κατὰ* pro *κακὰ* legitur.

§. 17. *γνοὺς δὲ ταῦτα Θηραμένης καὶ οἱ ἄλλοι οἱ ἐπιβουλεύοντες ὑμῖν, ὅτι εἰσί τινες οἳ κωλύσουσι τὸν δῆμον καταλυθῆναι καὶ ἐναντιώσονται περὶ τῆς ἐλευθερίας, εἵλοντο, πρὶν τὴν ἐκκλησίαν τὴν περὶ τῆς εἰρήνης γενέσθαι, τούτους πρῶτον εἰς διαβολὰς καὶ κινδύνους καταστῆσαι, ἵνα μηδεὶς ἐκεῖ ὑπὲρ τοῦ ὑμετέρου πλήθους ἀντιλέγοι*. Plura in his emendationis indigent. Ac primum quidem non praeter rem pron. *ταῦτα* ut otiosum in suspicionem adduxit Hamakerus. Reprobavit hoc quidem Scheibius Vindic. Lys. p. 69 duobus allatis locis Xenophontis qui sunt in Cyrop. V, 4, 24 *ταῦτα λέγοντα ὅτι ἕτοιμος εἴη* et VI, 1, 25 *ταῦτ' ἔλεγον ὅτι ὁ Ἀσσύριος οἴχοιτο ἐπὶ Λυδίας*, ubi item *ταῦτα* enuntiationem per part. *ὅτι* introductam praeparet. Sed tamen neque hi loci nostro prorsus similes habendi sunt, — *ταῦτα* enim sic illic tantum positum est ut ad ipsa verba eius qui loquitur respiciat — neque is est Xenophon qui pro summo atticae dictionis exemplo atque lege haberi debeat. Apud Lysiam me quoque fateor illud *ταῦτα — ὅτι* male habet. Quamquam neque cum Bremio pronomen *ταῦτα* omittendum, neque cum Hamakero in *ἐκ τούτων* mutandum censeo. Leniore aliquanto adhibita medicina *γνοὺς δ' ἐνταῦθα*

corrigas. — Deinde *περὶ* nescio an in *ὑπὲρ* sit mutandum. Cf. or. XX. §. 8 *εἴ τις καὶ ἐβούλετο ἐναντιοῦσθαι ὑπὲρ ὑμῶν*, et quod boc ipso loco infra legitur *ἵνα μηδεὶς ἐκεῖ ὑπὲρ τοῦ ὑμετέρου πλήθους ἀντιλέγοι.* *) — Tum verba *περὶ τῆς εἰρήνης* pro sanis babere nequeo. Quae enim una superstes adhuc erat de pace facienda contio postridie quam Lacedaemone rediit Theramenes est habita teste Xenophonte hist. gr. II, 2, 22, in eaque ipsa demum popularis imperii propugnatores id agebant, quod ad insidias eis struendas perpulit Theramenem. Confecta igitur eadem in contione pace iam nulla restabat, quae quidem buc referri possit, contio praeter eam, quae aliquanto post ipso Lysandro praesente de republica ordinanda babita est, quamque suo nomine *τὴν περὶ τῆς πολιτείας ἐκκλησίαν* nominat Lysias or. XII. §. 72. Accurate de his exposuit Scheiblus in libro *die oligarchische Umwälzung zu Athen* inscripto p. 164. Quo magis mirere eundem in media via substitisse, nec rem bene inchoatam absolvisse. Nimirum quoniam suo quaeque res nomine appellanda est, aperte contionem non paci faciendae, verum reipublicae ordinandae destinatam non *τὴν περὶ τῆς εἰρήνης*, sed *τὴν περὶ τῆς πολιτείας ἐκκλησίαν* dici oportebat. Quare Lysias quin *πολιτείας* boc quoque loco scripserit nequit dubitari. Hoc vero quomodo in *εἰρήνης* corrumpi potuerit si quaeris, id sane non oculi errore factum arbitror, — nimis enim utriusque vocabuli ductus inter se discrepant — sed librarii cuiusdam socordiae imputandum censeo. Nam pacis vocabulum inde a §. 5 identidem decantatum facile credi potest tali homini tam firmiter

*) His dudum iam scriptis perlata ad me est Mnemosynes Batavae vol. VIII. pars 3, ubi p. 306 eandem coniecturam I. Bakius proposuit. Sed actum egimus uterque. Scilicet idem iam ante nos Marklandum coniecisse nunc demum cognosco ex Reiskii indice graecitatis Lysiacae p. 799.

in auribus ac memoria haesisse, ut hoc quoque loco, ubi aliud agitur, invitus quasi et inscius reponeret. — Postremo *πρῶτον* quoque corruptum puto. Non est enim quod secundo loco positum cogitari possit. Itaque quum duo hoc loco ita coniungantur, ut alterum faciendum dicatur esse visum ante quam alterum evenisset, necessario *πρότερον* scribendum est.

§. 20. *οἱ γὰρ πολλοὶ ἐξ ἐκείνης τῆς βουλῆς τὴν ὑστέραν βουλὴν τὴν ἐπὶ τῶν τριάκοντα ἐβούλευον. τοῦ δ' ἕνεκα ταῦτα λέγω ὑμῖν; ἵν' εἰδῆτε, ὅτι τὰ ψηφίσματα τὰ ἐξ ἐκείνης τῆς βουλῆς οὐκ ἐπ' εὐνοίᾳ τῇ ὑμετέρᾳ, ἀλλ' ἐπὶ καταλύσει τοῦ δήμου τοῦ ὑμετέρου ἅπαντα ἐγένετο, καὶ ὡς τοιούτοις οὖσιν αὐτοῖς τὸν νοῦν προσέχητε.* Articuli ante *ἐπὶ* et *ἐξ* inserti alter Reiskio, alter Bekkero debentur. Eadem vero medicina adhibita Scheibius *οἱ γὰρ πολλοὶ οἱ ἐξ ἐκείνης τῆς βουλῆς* quo iure dederit nescio. Nam pars rei si indicatur, veluti *τὸ πέμπτον μέρος τῶν ψήφων*, *οἱ ἡμίσεις τῶν ἱππέων*, *οἱ πολλοὶ τῶν Ἀθηναίων* et quae sunt similia, articulus non iteratur nisi si cum aequali alius rei parte comparatur. Hoc igitur loco *οἱ πολλοὶ οἱ ἐξ ἐκείνης της βουλῆς* (h. e. *οἱ πολλοὶ οἱ τῶν τότε βουλευόντων*) nisi fallor ferri tantum posset, si alii his *πολλοὶ* oppositi essent. Deinde *ἐγένετο*, quod ex Marklandi coniectura dedi pro *ἐλέγετο*, etiamnum retinendum puto. Nam rogationem qui fert, is *εἰπεῖν γνώμην* dicitur sive *εἰπεῖν* simpliciter, quod admodum vulgare est, perraro *εἰπεῖν ψήφισμα*, ut apud Demosth. or. XXII. §. 49. et XXIV. §. 161, quo pertinet etiam quod est apud eundem or. XXIII. §. 20 *ὅτῳ τὸ ψήφισμα εἴρηται.* Prorsus autem ab usu abhorret *τὰ ψηφίσματα ἐλέγετο*, quum neque *λέγειν ψήφισμα* unquam Attici dixerint et in rogationibus significandis a verbo *λέγειν* omnino data opera abstinuerint. Quae res sic est comparata, ut non

ex sola vocabulorum vi, verum ex ipso usu iudicari debeat eiusmodi forensibus in formulis mirum quam constanti. Itaque non *λέγεται*, sed sive *γράφεται* sive *ψηφίζεται*, ut est infra §. 23. 29, sive *γίγνεται ψήφισμα*, quod infra quoque habes §. 56, itemque, ut afferam de multis quae in promptu sunt, apud Demosth. or. XVIII. §. 115, Aesch. or. III. §. 126, Lycurg. in Leocr. §. 116. 122, Xenoph. hist. gr. II, 2, 15. Cyrop. II, 2, 21, idque maxime ubi non certus rogationis auctor indicatur. — Sub finem quod in libro Palatino est *ὡς τοιούτοις οὐκ οὖσιν* me olim ut *ὡς τοιούτοις δοκοῦσιν* coniicerem adduxit. Quam coniecturam nunc iam ipse improbo. Nam quae esse perniciosa orator modo asseveraverat, ea non iam videri talia dicere potuit. Immo si verum *οὐκ οὖσιν*, neque ex syllaba proxima negatio per errorem orta est, *τοιούτοις* corrigendum, in eiusque locum vocabulum quale, ut exemplum ponam, *χρησίμοις* est sive *ἐπιτηδείοις* sive *ὠφελίμοις* substituendum erit.

§. 23. *ἄγειν μὲν τὸν Ἀγόρατον οὐκ ἔφασαν προήσεσθαι, ἀφῃροῦντο δὲ καὶ ἠγγυῶντο καὶ ὡμολόγουν παρέξειν εἰς τὴν βουλήν.* Dixi de hoc loco in Comment. crit. in script. gr. P. IV. p. 7 et P. VI. p. 6. Scilicet *παράξειν* pro *παρέξειν*, quod in libris est, et hoc loco et altero consimili qui est or. XXIII. §. 9. Cobeti iussu recepit Scheibius. Nuper tamen Cobetus quam parum recte hoc verbum sollicitaverit ipse intellexit ac verbum illud identidem a me defensum iure revocavit in Mnemos. vol. VI. p. 283, exemplo quod attuleram ex Demosth. or. XXIII. §. 91 nonnullis aliis adiectis, quibus omnis, si quae restabat, eximitur dubitatio. Prorsus enim ita Xenophon hist. gr. VII, 4, 38 *ὅτε ἡ τῶν Μαντινέων πόλις ἐγγυῷτο ἡ μὴν παρέξειν εἰς τὸ κοινὸν ὁπόσους τις προσκαλοῖτο*, Aeschines or. II. §. 117 *τὰς δὲ πόλεις παρεχούσας*

εἰς κρίσιν τοὺς ἀδικήσαντας ἀζημίους εἶναι, Decretum in Vit. dec. orr. p. 833ᵉ παρασχόντων δ' αὐτοὺς οἱ στρατηγοί.

§. 30. ἐπειδὴ δὲ εἰς τὴν βουλὴν ἐκομίσθη, ἀπογράφει Ἀγόρατος πρῶτον μὲν cett. Ex Palatino reliquisque, ut videtur, libris omnibus ἐκομίσθησαν pro ἐκομίσθη, quae Marklandi coniectura est, reposuit Scheibius. cuius haec est adnotatio: ἐκομίσθησαν *(Agoratus, strategi taxiarchique) X*, ἐκομίσθη *(quod ferri nequit, quum nomen* Ἀγόρατος *sequatur in apodosi) vulgo.* Sed si pluralis recte habet numerus, is certe ad strategos taxiarchosque referri nequit, verum ad solos eos spectat qui vadimonio promisso una cum Agorato in ara Dianae consederant (§. 23 sqq.), quosque a strategis taxiarchisque diversos sane esse verba docent proxime sequentia. At hos quoque comprehensos quo tandem iure credamus quove titulo? Qui etsi promiserant vadimonium, tamen hoc repudiato senatus nulla in ipsos potestas fuit. Nondum enim cuiusquam delatum erat nomen. Praeterea Agoratus relicto demum asylo comprehensus est. Itaque eius vades quoque, si quid timendum eis erat, asylum sua sponte credamus reliquisse? Non est ita, sed Agoratum solum senatus quaeritabat, isque solus postquam in senatum ἐκομίσθη (cf. §. 52 ἐξῆν Ἀγοράτῳ τουτῳί, πρὶν εἰς τὴν βουλὴν κομισθῆναι, ὅτ' ἐπὶ τοῦ βωμοῦ ἐκάθητο Μουνυχίασι, σωθῆναι, neque praeter ipsum Agoratum introductum iri quenquam in senatum familiares eius ponunt §. 25), nomina ibi detulit primum vadum suorum, deinde strategorum taxiarchorumque, postremo aliorum quoque civium, qui omnes mox, praeterquam qui salutem fuga petebant (§. 63), senatus iussu comprehensi inque vincula coniecti sunt (§. 34). Quod autem ἐκομίσθη ob eam caussam Scheibius damnat, quod nomen sequatur demum in apodosi, hoc

speciosum magis quam verum argumentum est. Quamquam impraesentiarum quidem huius constructionis unum tantum in promptu mihi est exemplum, idque haud sane nobile, quod exstat in Themistoclis qui fertur epist. 16 (P. III. p. 4, 25 meae edit.): *ἐπεὶ δὲ μετεκλήθη, ἀπέτισε Παυσανίας.* Sed non dubito quin plura apud bonae quoque notae scriptores invenire possit, qui inter legendum ad talia diligentius aliquanto animum attenderit. Certe quod in latino sermone aequo animo ferimus, a graeco non est cur alienum esse iudicemus. Frequens est, ut hoc utar, apud Ovidium ista traiectio subiecti, velut in Metamorph. I, 348 *quem postquam vidit inanem et desolatas agere alta silentia terras, Deucalion lacrimis ita Pyrrham affatur obortis,* ib. 673 *haec ubi disposuit, patria Iove natùs ab arce desilit in terras,* II, 167 *quod simul ac sensere, ruunt tritamque relinquunt quadriiugi spatium,* alibi. Nec soli poetae id sibi sumpsere. Idem apud Sallustium est in Iug. c. 11, 2 *postquam illi more regio iusta magnifice fecerant, reguli in unum convenerunt,* ad quem locum haec est Kritzii adnotatio: „in Bipont. et Langiana editione comma post *fecerant* sublatum post *reguli* vocabulum habetur, contra Salustii morem, qui duabus sententiis ita comparatis, ut utrique idem subiectum sit, id semper primariae, nunquam secundariae attribuit; neque ad rem pertinet quod secundaria antecedit alteram.“ cf. F. A. Heinichen *Lehrb. der Theorie des lat. Stils* p. 184.

§. 31. *ἐβούλοντο τοίνυν ἔτι πλειόνων αὐτὸν τὰ ὀνόματα ἀπογράψαι· οὕτω σφόδρα ἔρρωτο ἡ βουλὴ κακόν τι ἐργάζεσθαι, καὶ αὐτὸς οὐκ ἐδόκει αὐτοῖς ἅπαντα τἀληθῆ πω κατηγορηκέναι.* Quod ex codice Laur. C Bekkerus recepit *ἐργάζεσθαι αὐτὸν ὥστ'* pro eo quod in reliquis libris est *ἐργάζεσθαι αὐτός*, duas ob caussas vi-

detur esse repudiandum. Ac primum *ἐργάζεσθαι αὐτὸν* si scribitur, *αὐτὸν* aut obiectum aut subiectum est. Si obiectum, hoc dicit orator, senatum malo aliquo afficere voluisse Agoratum; sin autem subiectum, hoc, obstinatum senatui fuisse Agoratum aliquid mali facere. Neutrum ferri potest. Nam neque verum est illud, senatum consilii sui socium afficere voluisse malo, neque *ἐρρῶσθαι* verbum tale est, quod infinitivum adsciscere possit ad aliud subiectum referendum. Scilicet obstinatum non potest cuiquam esse quicquam, quod ex alius voluntate pendet. Quare non Agoratum, sed ipsum mali aliquid facere poterat senatui esse obstinatum, id quod satis clare iam supra §. 25. significatum est verbis his, *ἀναγκασθήσεται ὀνόματα εἰπεῖν Ἀθηναίων ὧν ἂν ὑποβάλωσιν οἱ βουλόμενοι κακόν τι ἐν τῇ πόλει ἐργάζεσθαι.* Deinde vero *οὕτω* vocabulo si *ὥστε* subiicitur, asyndeton oritur in media narratione admodum insuave. Exspectes certe *οὕτω γάρ*, quoniam sic iuncta oratione verbis *οὕτω* et seqq. ratio continetur, cur plura eum nomina deferre voluerint. Similis quidem locus est or. XII. §. 1. *οὐκ ἄρξασθαί μοι δοκεῖ ἄπορον εἶναι. ὦ ἄνδρες δικασταί, τῆς κατηγορίας, ἀλλὰ παύσασθαι λέγοντι· τοιαῦτα τὸ μέγεθος καὶ τοσαῦτα τὸ πλῆθος εἴργασται ὥστε μήτ' ἂν ψευδόμενον δεινότερα τῶν ὑπαρχόντων κατηγορῆσαι, μήτε τἀληθῆ βουλόμενον εἰπεῖν ἅπαντα δύνασθαι.* Sed hoc quoque in loco quod inest asyndeton, etiamsi in ipso introitu orationis collocatum minus aliquanto offendere videri possit, tamen vix me contineo quin a Lysia alienum atque particula *γάρ* inserta tollendum iudicem. Eandem ob caussam Kaysero quoque non adstipulandum esse censeo *ἐργάζεσθαι ὥστε καὶ οὗτοσὶ* illic corrigenti; praeterquam quod nimis haec correctio ab eo quod in libris est recedit. Idemque cadit in P. R. Muelleri con-

iecturam, qui voc. *αὐτὸν* deleto simpliciter *ἐργάζεσθαι ὥστ'* scribi voluit in Philol. vol. XII. p. 97. Quamquam asyndeta hic illic apud Lysiam alios quoque nacta sunt patronos, velut quod est §. 62, ubi postquam *εἰ μὲν οὖν* Bekkerus ex libro C recepit, nunc quidem ex X nescio quo iure *εἰ μὲν* Scheibius reposuit, Reiskius autem, et nondum quidem cognito libro C, *Lysiam* inquit *si nescirem copulandae orationis paullo esse negligentiorem, suspicarer hic deesse aliquam copulam.* Qui quam Lysiae ipsi imputat negligentiam haud scio an rectius, compluribus certe locis (cf. quae dicentur infra ad §. 60 et 71), librariis imputemus. Exempli caussa consimilem addam locum, qui est §. 51, ubi pro eo quod in reliquis est libris *ὡς μὲν οὖν οὐκ ἀπέγραψεν* in Vindobonensi *ὡς μὲν οὐκ ἀπέγραψεν* legitur. Hoc vero loco, de quo agimus, in verbis *ἐργάζεσθαι καὶ αὐτός*, quae Sauppii est correctio, cum editoribus novissimis mihi quoque videtur esse subsistendum.

§. 32. *ἐπειδὴ δὲ ἡ ἐκκλησία Μουνυχίασιν ἐν τῷ θεάτρῳ ἐγίγνετο, οὕτω σφόδρα τινὲς ἐπεμελοῦντο ὅπως καὶ ἐν τῷ δήμῳ περὶ τῶν στρατηγῶν καὶ τῶν ταξιάρχων μήνυσις γένοιτο (περὶ δὲ τῶν ἄλλων ἀπέχρη ἐν τῇ βουλῇ μήνυσις μόνη γεγενημένη), ὥστε καὶ ἐκεῖ παράγουσιν εἰς τὸν δῆμον.* Verba per parenthesin interiecta ex emendatione dedi a Reiskio partim inchoata, partim absoluta a Turicensibus editoribus. Scilicet in libris est *ἐν τῇ βουλῇ μήνυσις μὲν ἡ γεγενημένη*, excepto C, qui *μὲν* omisso habet quod Bekkerus edidit *ἐν τῇ βουλῇ μήνυσις ἡ γεγενημένη*. Correxerunt *μόνη ἡ* Reiskius, *μόνη* Turicenses. A quibus correctionibus novissimi editores ita recesserunt, ut *ἡ ἐν τῇ βουλῇ γεγενημένη* ex Bremii et Cobeti coniectura Scheibius scriberet, *ἐν τῇ βουλῇ μόνον γεγενημένη* de suo Rauchensteinius reciperet. Sed voc. *μήνυσις*, quod est in libris

omnibus quodque, si non aderat, prorsus non erat cur de suo aliquis interponeret, non possum mihi persuadere recte facere qui eiiciant, praesertim in Lysia oratore, quem in iterandis singulis vocabulis, quorum iteratio nec necessaria fuit et facile evitari potuit, mirifice sibi placuisse quivis scit in eius orationum lectione aliquantulum versatus. Vide, ut pauca de multis ex hac ipsa oratione proferam, quae exstant §. 46 (ubi praeter necessitatem eiici voluit *τὴν πόλιν* Emperius, *πόλεως τὴν πόλιν* Bakius in scholic. hypomn. Vol. II. p. 267). 51. 55, quaeque alia cum his comparat ipse Scheibius in Vindic. Lys. p. 82 sq. — Praeterea in extremis verbis pro *ἐκεῖ* Kayserus *ἐκεῖσε* fuisse nuper coniecit in Philol. vol. XI. p. 153, eiusque explicandi caussa verba *εἰς τὸν δῆμον* adiecta esse. Quod certe necessarium non videtur. Nam verba *ἐκεῖ* et *ἐκεῖσε* ita comparata sunt, ut utrum ubique poni debeat non certo affirmari possit, sed prout cogitetur res utrumque locum habere queat. Accedit quod nostro loco non *ἐκεῖ παράγουσιν*, sed *παράγουσιν εἰς τὸν δῆμον* artius coniungenda sunt (cf. §. 55 *παράγει αὐτὸν εἰς τὸν δῆμον*), vocabulo *ἐκεῖ* autem, quod ad verba *ἐπειδὴ δὲ ἡ ἐκκλησία Μουνυχίασιν ἐν τῷ θεάτρῳ ἐγίγνετο* respicit, locus quo hoc fecerint indicatur. Hoc igitur dicit orator, fuisse qui tam impense operam darent ut coram populo quoque praefectorum militarium delatio fieret, ut vel illic — h. e. Munychiae in theatro, quo propter aliam nescio quam caussam tum praeter ordinem contio habebatur — apud populum Agoratum introducerent.

§. 33. *ὁμολογεῖ μὲν καὶ αὐτός, ὅμως δὲ καὶ τὰ ψηφίσματα ὑμῖν τοῦ δήμου ἀναγνώσεται. ΨΗΦΙΣΜΑ.* Sic legitur in libris omnibus. Ad quae haec adnotavit Reiskius: *si pluralis hic bene habet, erit in proximo pro singulari ΨΗΦΙΣΜΑ plurale ΨΗΦΙΣΜΑΤΑ*

substituendum aut contra. Optione facta prius editores elegerunt inque lemmate *ΨΗΦΙΣΜΑΤΑ* reposuerunt. Quamquam debebant posterius eligere. Nam unum tantum, ut videtur, hac de re in contione Munychiae habita populi scitum factum est, quo ut de ea re quaereretur et in iudicium rei vocarentur populus decrevit. Quod autem pluralis explicandi caussa Rauchensteinius una cum hoc scito recitatum esse dicit senatus consultum, quo ad populum res delata sit, neque *ψήφισμα τοῦ δήμου* hoc fuit, neque ad rem probandam omnino quicquam faciebat. Aperte enim non rem a senatu ad populum delatam, verum id probare orator vult, quod post rem delatam ista in contione Agoratus egerit; hoc vero perscriptum non poterat esse nisi in ipso quod dixi populi decreto. Quamobrem *τὰ ψηφίσματα* in *τὸ ψήφισμα* necessario mutandum est.

§. 37. *δύο δὲ τράπεζαι ἐν τῷ πρόσθεν τῶν τριάκοντα ἐκείσθην, τὴν δὲ ψῆφον οὐκ εἰς καδίσκους, ἀλλὰ φανερὰν ἐπὶ τὰς τραπέζας ταύτας ἔδει τίθεσθαι, τὴν μὲν καθαιροῦσαν ἐπὶ τὴν ὑστέραν.* Sic, *τὴν μὲν καθαιροῦσαν ἐπὶ τὴν ὑστέραν*, in libris est excepto C omnibus. Quae lectio solos nacta est patronos Sauppium atque Rauchensteinium: sua scilicet sponte quid sit oppositum apparere. Sed nunquam adducar ut credam tam insulsum hiatum admittere potuisse Lysiam. Nec vero Kaysero qui accedat hoc totum incisum secludenti quemquam fore credo. Restat igitur ut excidisse aliquid cum reliquis ponamus. Non sane sufficit quod ex libro C Bekkerus recepit, *τὴν μὲν ἐπὶ τὴν πρώτην, τὴν δὲ καθαιροῦσαν ἐπὶ τὴν ὑστέραν.* Propius a vero abest quod ab Aldo inventum Reiskius adhuc tenuit, *τὴν μὲν καθαιροῦσαν ἐπὶ τὴν ὑστέραν, τὴν δὲ σώζουσαν ἐπὶ τὴν προτέραν,* quodque Scheibius quoque eatenus certe probavit, ut post *ὑστέραν* lacunae signum poneret. Quamquam displicet, fateor, in-

versus hic ordo rerum. Nam suus quemque animus quasi invitum adducit ac pene cogit ut quod prius est primo, quod posterius altero loco collocet. Fecit hoc, ut exemplum ponam, in re consimili Xenophon hist. gr. I, 7, 9: *θεῖναι δὲ ἐς τὴν φυλὴν ἑκάστην δύο ὑδρίας, ἐφ' ἑκάστῃ δὲ τῇ φυλῇ κήρυκα κηρύττειν, ὅτῳ δοκοῦσιν ἀδικεῖν οἱ στρατηγοὶ οὐκ ἀνελόμενοι τοὺς νικήσαντας ἐν τῇ ναυμαχίᾳ, ἐς τὴν προτέραν ψηφίσασθαι, ὅτῳ δὲ μή, ἐς τὴν ὑστέραν.* Qua ab consuetudine hoc loco cur recesserit Lysias non assequor. Sensisse hoc videtur P. R. Muellerus, quum *τὴν μὲν [σῴζουσαν ἐπὶ τὴν προτέραν, τὴν δὲ] καθαιροῦσαν ἐπὶ τὴν ὑστέραν* scribendum coniecit in Philol. vol. XII. p. 97. Ego vero malim *τὴν μὲν καθαιροῦσαν [ἐπὶ τὴν προτέραν, τὴν δὲ σῴζουσαν] ἐπὶ τὴν ὑστέραν.* Sic demum quomodo vitium exortum sit in oculos incurrit.

§. 41. *καὶ περὶ Ἀγοράτου τουτουὶ ἔλεγεν ὅτι αἴτιος ἦν τοῦ θανάτου.* Cobetus *αὐτῷ* post *αἴτιος* interponi iussit. Magis opinor credibile est *οἱ* post *ὅτι* excidisse.

§. 44. *ἴστε μὲν γὰρ τοὺς ἐκ Σαλαμῖνος τῶν πολιτῶν κομισθέντας, οἷοι ἦσαν καὶ ὅσοι καὶ οἵῳ ὀλέθρῳ ὑπὸ τῶν τριάκοντα ἀπώλοντο, ἴστε δὲ τοὺς ἐξ Ἐλευσῖνος, ὡς πολλοὶ ταύτῃ τῇ συμφορᾷ ἐχρήσαντο.* Nisi me omnia fallunt, *τῇ αὐτῇ* pro *ταύτῃ τῇ* scribendum est. Prorsus enim eadem Eleusinii passi sunt.

§. 47. *ταῦτα ἐκεῖνοι οἱ ἀγαθοὶ ἄνδρες αἰσθόμενοι οὐκ ἔφασαν ἐπιτρέψαι τὴν εἰρήνην ποιήσασθαι.* Quae modo enarravit Lysias quoniam post factam demum cum Lacedaemoniis pacem ipsosque illos viros in vincula coniectos evenere, non recte iidem haec *αἰσθόμενοι* dicuntur faciendam pacem assensu suo approbare noluisse. Nam verbum *αἰσθάνεσθαι* non ita, quod quidem sciam, usurpatur, ut futurarum rerum praesagitionem vel praedivinationem

significet. Constans Graecorum certe loquendi consuetudo ut *προαισθόμενοι* scribamus postulat. Similis invasit error orat. XIX. §. 13, ubi quae leguntur verba *οὐκ εἰδὼς τὴν ἐσομένην διαβολὴν*, quoniam quae futura sunt scire nemo potest, nisi fallor ita restituenda sunt, ut *οὐ προειδὼς* pro *οὐκ εἰδὼς* corrigatur.

§. 50. *πρῶτον μὲν γὰρ τὰ ψηφίσματα αὐτοῦ τὰ ἐκ τῆς βουλῆς καὶ τοῦ δήμου καταμαρτυρεῖ, διαρρήδην ἀγορεύοντα περὶ ὧν Ἀγόρατος κατείρηκεν· ἔπειτα ἡ κρίσις, ἣν ἐκρίθη ἐπὶ τῶν τριάκοντα καὶ ἀφείθη, διαρρήδην λέγει, „διότι“ φησίν „ἔδοξε τἀληθῆ εἰσαγγεῖλαι.“ καί μοι ἀνάγνωθι. ΨΗΦΙΣΜΑΤΑ. ΓΝΩΣΙΣ. ΓΡΑΦΑΙ.* Tituli in X Kaysero teste non desunt, sed in margine adscripta sunt, quamquam nescio an non omnes: certe Bekkerus *ΓΝΩΣΙΣ* a C esse ait. Desunt in reliquis, ut videtur, eorumque loco *καί μοι ἀνάγνωθι τὰς γραφὰς* in Coisliniano atque Mosquensi legitur, quod Reiskius in *ἀνάγνωθι τὰ ψηφίσματα καὶ τὰς γραφάς* mutavit adiectis titulis *ΨΗΦΙΣΜΑΤΑ. ΓΡΑΦΑΙ.* Sed *γραφαί* hoc loco quid sibi velit fateor non assequor. Libellum non esse posse — *Klageschrift*, ut vertit Falkius — sponto intelligitur. Nec tamen Reiskii explicatio mihi quidem probatur, qui haec adnotat: *vocabulum γραφὴ h. l. a Lysia sensu rariusculo usurpatum est pro ἀπογραφή. designat illos duos indices ab Agorato, id quod e superioribus constat, alium post alium exhibitos, in quibus perscripserat nomina a se delatorum. paulo post sub exitum huius paginae recurrit* voc. *γραφὴ hoc sensu indicis.* Nam nusquam sic simpliciter *γραφὴ* dicitur, quae est *ἀπογραφή* (cf. §. 87. 95), atque ipsa etiam ad quae provocat Reiskius verba oratoris §. 55 mihi quidem admodum suspecta sunt, nec dubito quin *ἀπογραφῶν* pro

γραφῶν illic reponendum sit.*) Hoc vero loco quum nihil tale scribam orator recitare iubeat, non *ΑΠΟΓΡΑΦΑΙ* scribendum, verum ipsum *ΓΡΑΦΑΙ* ut merum librariorum commentum abiiciendam censeo. Qui quum sola verba *καί μοι ἀνάγνωθι* apud Lysiam invenissent, nec satis clare quid ille recitari voluerit intelligerent, *τὰς γραφάς* addiderunt, ut de scripto quid recitari lectorem edocerent. Praeterea *ΓΝΩΣΙΣ* ferri quidem potest; sed quum in iemmatis scribendis librorum nulla omaino sit auctoritas, non repugnarem si ipsum Lysiam ducem secutus *ΚΡΙΣΙΣ* aliquis reponeret.

§. 54. *καὶ Ἱππίας μὲν ὁ Θάσιος καὶ Ξενοφῶν ὁ Καριεύς, οἳ ἐπὶ τῇ αὐτῇ αἰτίᾳ τούτῳ ὑπὸ τῆς βουλῆς μετεπέμφθησαν, οὗτοι μὲν ἀπέθανον, ὁ μὲν στρεβλωθείς, Ξενοφῶν, ὁ δὲ Ἱππίας οὕτω, διότι οὐκ ἄξιοι ἐδόκουν τοῖς τριάκοντα σωτηρίας εἶναι.* De eo, quod corrupto voc. *Καριεύς* subesse possit, satis dictum est. Sed quod pro *οὕτω* olim conieci *οὔπω* nunc quidem mihi ipsi displicet. Quamquam et *οὕτω* sic positum non posse tolerari pro explorato habeo, nec toleravit quamvis antea defensum novissima in editione Scheibius. Is enim post *οὕτω* lacunae signum posuit. Recte puto. Quae lacuna quomodo explenda sit etsi nescio, — latissimus enim hic patet campus coniecturae — tamen dubito an probari possit quam nuper Rauchensteinius inivit ratio. Verba eius haec sunt: *vielleicht ist zu schreiben οὕτως ὥς ποτε, da er durch Hunger oder Verwahrlosung im Kerker umkam.* Quasi vero hoc in confesso sit. Sed ut sciverint Athenienses qua ratione Hippias occidisset, sine dubio credendi sunt item Xenophon qua ratione occidisset non

*) Eandem in coniecturam Bakius etiam incidit in Mnemos. vol. VIII. p. 307.

ignoravisse, ita ut non habuerit orator cur huius tantum mortem accuratius indicaret. Immo στρεβλωθείς illud postulat pene atque flagitat, ut alter quoque quo genere mortis usus sit dicatur. Accedit quod Hippias si tam crudelem mortem revera est perpessus, non facile hoc tam leviter Lysias attigisset. Non enim is erat Lysias, qui quicquam omitteret aut leviter tractaret, quod quidem maiorem triginta viris eorumque asseclis invidiam contrahere posset atque odium.

§. 60. *ὁ δὲ οὐκ ἔφη οὐδέποτε· οὕτω χρηστὸς ἦν καὶ περὶ τοὺς δεδεμένους καὶ περὶ τὸν δῆμον τῶν Ἀθηναίων, ὥστε εἵλετο μᾶλλον ἀποθανεῖν ἢ κατειπεῖν καὶ ἀδίκως τινὰς ἀπολέσαι.* Vocabulum *οὕτω*, ut nostrum *so*, ubi modum significat sive gradum, saepe numero sic usurpari, ut tanquam caussa effectui suo inverso ordine et sine omni copula postponatur, res est notissima. Itaque recte quidem dici poterat *ὁ δὲ οὐκ ἔφη οὐδέποτε· οὕτω χρηστὸς ἦν καὶ περὶ τοὺς δεδεμένους καὶ περὶ τὸν δῆμον τῶν Ἀθηναίων* (*er aber weigerte sich dessen: so rechtschaffen handelte er an den Verhafteten sowohl als an der Volksgemeinde*), quod idem esset plane ac si diceres *οὕτω χρηστὸς ἦν καὶ περὶ τοὺς δεδεμένους καὶ περὶ τὸν δῆμον τῶν Ἀθηναίων, ὥστε οὐκ ἔφη οὐδέποτε.* Sed aliter tamen hunc locum comparatum esse docet quod suum *ὥστε* vocabulum *οὕτω* hic subiunctum habet. Quod quum ita sit, ne asyndeton Lysiae imputemus parum tolerabile, ante *οὕτω* particulam necesse est inseramus, et quidem talem, qualem quae praecedit negatio postulat. Recte omnia procedunt, si scribamus *ὁ δὲ οὐκ ἔφη οὐδέποτε, ἀλλ᾽ οὕτω χρηστὸς ἦν* cett.

§. 61. *ἐκεῖνος μὲν τοίνυν καὶ ὑπὸ σοῦ ἀπολλύμενος τοιουτοσὶ ἐγένετο.* Quod Reiskio auctore nunc mavult Scheibius *καὶ αὐτὸς*

ὑπὸ σοῦ, iam recte refutavit Kayserus in Philol. vol. XI. p. 159. Qui tamen ipse quo iure *ὁ ὑπὸ σοῦ ἀπολόμενος* pro *καὶ ὑπὸ σοῦ ἀπολλύμενος* scribendum proposuerit, fateor non intelligo. Sunt enim haec non modo sana, verum illis fortiora etiam aliquanto atque graviora. Etenim Kayserum qui sequitur, nihil lucratur nisi antithesin quandam minime necessariam. Hoc vero Lysias dicit, tantam Aristophanis fuisse probitatem, ut vel moriens per Agoratum — quo in articulo temporis suis plerumque magis quam aliorum rationibus homines prospiciunt — talem se praestiterit. Scilicet *ἀπολλύμενος* imperfecti est participium: *selbst in dem Augenblicke, wo er durch dich zu Grunde ging.*

§. 62. *οἱ δ' ἑτέρας μεγάλας ἀρχὰς ἄρξαντες καὶ τριηραρχίας πολλὰς τριηραρχήσαντες οὐδεπώποτε ὑφ' ὑμῶν οὐδεμίαν αἰτίαν αἰσχρὰν ἔσχον.* In libris CX Mosquensi et reliquis, ut videtur, plurimis *οὐδ'* additum post *οὐδεπώποτε* auctore Reiskio recentiores editores deleverunt omnes. At Lysiae textus quam lacunosus sit si reputas, *οὐδ'* illud, quum tale non sit quod de suo librarii adiicere potuerint, eo potius ducit, ut hic quoque excidisse aliquid suspiceris. Exempli caussa ponam *οὐδεπώποτε [οὐδὲν παρενόμουν] οὐδ' ὑφ' ὑμῶν οὐδεμίαν αἰτίαν αἰσχρὰν ἔσχον.*

§. 67. *ἦσαν τοίνυν οὗτοι τέτταρες ἀδελφοί· τούτων εἷς μὲν ὁ πρεσβύτερος ἐν Σικελίᾳ παραφρυκτωρευόμενος τοῖς πολεμίοις ληφθεὶς ὑπὸ Λαμάχου ἀπετυμπανίσθη, ὁ δὲ ἕτερος εἰς Κόρινθον μὲν ἐντευθενὶ ἀνδράποδον ἐξήγαγεν, ἐκεῖθεν δὲ παιδίσκην αὐτῆς ἐξαγαγὼν ἁλίσκεται, καὶ ἐν τῷ δεσμωτηρίῳ δεδεμένος ἀπέθανε.* Quod pro *οὗτοι* proposuit Bakius in scholic. hypomn. vol. II. p. 271 *τούτῳ* mendum est arithmeticum. Nam tribus fratribus si unum addis Agoratum, non quinque confiunt, verum quattuor universi. Deinde

sane *ὁ πρεσβύτατος* exspectes. Comparativus tamen fortasse excusari potest, si Agoratum, cum quo illi comparantur, secundum natu fuisse ponimus. Denique haud scio an *ἐξάγων* pro *ἐξαγαγὼν* scribendum sit. Scilicet ancillam — hoc enim *παιδίσκη* significat, non filiam, ut interpretatur Falkius — exportans, plane ut frater *παραφρυκτωρευόμενος*, deprehensus est. Nam postquam exportavit, Corinthi certe deprehendi non facile potuit. *) Ceterum hoc loco non recte, ut videtur, C. F. Hermannus usus est in Antiqu. graec. publ. §. 139, 9, quo demonstraret Athenis vel poenam fuisse carceris. At vero homo ille ne civis quidem fuit Atheniensis. Et civis ut fuerit, de poena nihil quicquam apud Lysiam est: potest homo in vincula coniectus ob rem, quae vadimonium nullum admittebat, in ipso carcere ante decessisse quam condemnatus esset a iudicibus. Neque tamen Athenis tota ista res acta est, sed Corinthi, ut docent quae proxime sequuntur verba *τὸν δὲ τρίτον Φαινιππίδης ἐνθάδε λωποδύτην ἀπήγαγε.*

§. 68. *ὡς δὲ ἀληθῆ λέγω, καὶ αὐτὸν οἶμαι ὁμολογήσειν τοῦτον καὶ μάρτυρας παρεξόμεθα.* Praeter exspectationem certe positus est pluralis numerus *παρεξόμεθα.* Satis erat *παρέξομαι* dixisse, quae constans est formula apud Lysiam. Vid. or. III. §. 14. 20. or. X. §. 5. or. XII. §. 42. or. XIII. §. 42. or. XIX. §. 27. 58. or. XX. §. 25. 28. or. XXIII. §. 4. 8. 11. 14. 15. or. XXX. §. 20.

§. 69. *πῶς οὖν οὐχ ἅπασι προσήκει ὑμῖν τούτου καταψηφίζεσθαι; εἰ γὰρ τούτων ἕκαστος δι' ἓν ἁμάρτημα θανάτου ἠξιώθη, ἦ που τοῦ γε πολλὰ ἐξημαρτηκότος καὶ δημοσίᾳ εἰς τὴν πόλιν καὶ*

*) In eandem coniecturam etiam Cobetum incidisse (in adnot. ad Hyperidis or. funebr. p. 41) his scriptis demum comperi.

ἰδίᾳ εἰς ἕκαστον ὑμῶν, ὧν ἑκάστου ἁμαρτήματος ἐν τοῖς νόμοις θάνατος ἡ ζημία ἐστί, δεῖ ὑμᾶς σφόδρα θάνατον αὐτοῦ καταψηφίσασθαι. Bakius in scholic. hypomn. vol. II. p. 271 *ἐφ'* ante *ἅπασι* inseruit: nullam enim ait esse caussam quare *πάντες ὑμεῖς* dicantur, neque haec conferri posse cum ipso initio orationis (ubi haec leguntur: *προσήκει μὲν πᾶσιν ὑμῖν τιμωρεῖν ὑπὲρ τῶν ἀνδρῶν — προσήκει δὲ κἀμοὶ οὐχ ἥκιστα*), neque cum §. 92 (ubi verba haec sunt: *προσήκει δ' ὑμῖν ἅπασι τιμωρεῖν ὑπὲρ ἐκείνων τῶν ἀνδρῶν ὁμοίως ὥσπερ ἡμῶν ἑνὶ ἑκάστῳ*): quippe utroque loco oppositionem esse. Haec atque id genus alia vix erit qui serio refutanda sibi sumat. Quasi vero nefas oratori sit *ἅπαντες ὑμεῖς* alloqui iudices, nisi ubi illis se opponat ipsum. Lege quae adscripsi verba proxime sequentia et quo iure *ἅπασι προσήκει ὑμῖν* dictum sit protinus ipse senties. Sed aliud est in his verbis, quod mihi quidem offensioni est, illud *ἁμαρτήματος* dico, quod post *ἑκάστου* insertum legitur. Nam *ὧν* etsi ad *πολλὰ* respicit, tamen quoniam huic additum *ἐξαμαρτηκότος* est, non poteris facere quin relativum ad multa illa malefacta referas. Itaque voc. *ἁμαρτήματος* non recte singulo attribuitur, sed ipsi generi erat attribuendum. Quasi germanice dicas *ihn der vieles verbrochen hat, wovon auf jedem Verbrechen die Todesstrafe steht,* nec vero *von welchen Verbrechen auf jedem die Todesstrafe steht.* Quamobrem *ἁμαρτήματος*, si non delendum omnino, — nec sane erit qui omissum desideret — certe in *ἁμαρτημάτων* mutandum censeo.

§. 71. *ἐπειδὴ δὲ ἐπετυχέτην αὐτῷ βαδίζοντι, ὁ μὲν Θρασύβουλος τύπτει τὸν Φρύνιχον καὶ καταβάλλει πατάξας, ὁ δὲ Ἀπολλόδωρος οὐχ ἥψατο, ἀλλ' ἐν τούτῳ κραυγὴ γίνεται καὶ ᾤχοντο φεύγοντες.* Subabsurde Thrasybulus atque Apollodorus dicuntur ob-

viam facti Phrynicho *βαδίζοντι*. Quod vocabulum sic simpliciter positum, quoniam ad rem nihil omnino facit, prorsus est supervacaneum. Immo dicendum erat quo aut modo aut loco incesserit. Quare quis credat excidisse aliquid, velut aut *μόνῳ*, nisi hoc in ipso *αὐτῷ* latet, aut *διὰ τῆς ἀγορᾶς*. Nam *ἐν τῇ ἀγορᾷ πληθυούσῃ* non procul a curia facinus perpetratum esse testis est Thucydides VIII, 92. Non obstat quod Lycurgus in Leocr. §. 112 *παρὰ τὴν κρήνην τὴν ἐν τοῖς οἰσυίοις* Phrynichum ait esse interemptum. Nam *οἰσυίοις* an *οἰσυΐνοις* illic cum Baitero scribas, hoc vocabulo forum vimineum significari sive eam partem fori, ubi *τὰ οἴσυια* vendebantur, acute iam Toupius in append. ad Theocr. p. 28 indagavit. Certe vix credibilia eadem de re narrat L. Rossius in libro inscripto *das Theseion und der Tempel des Ares in Athen* (1852) p. 61, cuius haec verba sunt: *und sogar Weiden, ein noch mehr (als die Platanen) die Feuchtigkeit liebender Baum, wuchsen auf der Agora.* — Deinceps pro *ἀλλὰ τούτῳ*, quod in libris est, ex Scheibii coniectura *ἅμα τούτῳ* dedit Rauchensteinius. Quo asyndeto, praesertim in tam simplici rei narratione, quid lucri faciamus non intelligo. Immo vero postquam Apollodorum manum non admovisse orator dixit, id qua de caussa factum sit explicans iam sequentia per *γὰρ* aut *ἀλλὰ* particulam adnectere debebat. Sensit hoc scriptor libri C, qui *ἀλλ' ἐν τούτῳ* correxit, idque a Bekkero receptum est. Cui quod Rauchensteinius opponit, *ἐν τούτῳ wäre unterdessen, nicht, was verlangt wird, in diesem Augenblick*, argute magis quam vere dictum arbitror. Scilicet in re non lente ac paulatim, verum celeriter atque uno temporis puncto absoluta eodem aperte utrumque redit. Aut hoc igitur aut quod Reiskius coniecit *ἀλλ' ἅμα τούτῳ* videtur esse reponendum.

§. 85. *τοῦτο δὲ οὐδενὶ ἄλλῳ ἔοικεν ἢ ὁμολογεῖν ἀποκτεῖναι, μὴ ἐπ' αὐτοφώρῳ δέ.* Qui sequitur gravissime sane corruptus locus adeo, ut videtur, novissimorum editorum animos occupavit, ut partes orationis utrobique adiacentes intactas praetermitterent, neque de eis emendandis omnino cogitarent. Atque in verbis supra adscriptis quidem esse quod emendationis indigeret solus animadvertit Reiskius, isque *ἢ τῷ ὁμολογεῖν μὲν ἀποκτεῖναι* corrigendum esse censuit. Ac sane *μὲν* et excidere facile potuit et in tam gravi membrorum oppositione necessarium pene est; *τῷ* autem addendum esse, antequam Reiskii adnotationes inspicerem, ipse quoque senseram. Nihilo minus iam alia his verbis quaerenda videtur medicina: nam neque satis tutum est duobus deinceps locis eisque tam parvo litterarum intervallo disiunctis in libris aliquid credere excidisse, — quamquam aliis quoque locis Scheibius nescio quo iure hoc quidem remedio uti non dubitavit, ut eiusd. orat. §. 32 et orat. VII. §. 30 — et Reiskium si sequeris, dicendi existit genus duriusculum, ut mihi quidem videtur, atque languidum, certe tale quod Lysiae praeter necessitatem vix licet imputare. Ego vero corrigo *τούτῳ δὲ οὐδὲν ἄλλο ἔοικεν ἢ ὁμολογεῖν μὲν ἀποκτεῖναι.* Scilicet *ἔοικεν* ad Agoratum redit, *τούτῳ* (*hiermit*) ad id ipsum quod modo dictum est.

§. 87. *οὐ γὰρ δήπου τοῦτο μόνον οἴεται ἐπ' αὐτοφώρῳ, ἐάν τις ξύλῳ ἢ μαχαίρᾳ πατάξας καταβάλῃ, ἐπεὶ ἔκ γε τοῦ σοῦ λόγου οὐδεὶς φανήσεται ἀποκτείνας τοὺς ἄνδρας, οὓς σὺ ἀπέγραψας· οὔτε γὰρ ἐπάταξεν αὐτοὺς οὐδεὶς οὐδ' ἀπέσφαξεν, ἀλλ' ἀναγκασθέντες ὑπὸ τῆς σῆς ἀπογραφῆς ἀπέθανον.* Ut non offendat subitus a tertia persona (*οἴεται*) ad secundam (*ἔκ γε τοῦ σοῦ λόγου*) transitus, cuius exempla congessit Foertschius in observ. crit. in Lysiae oratt. p.

34, at aliquatenus iam offendit *ἐπ' αὐτοφώρῳ* illud sic sine articulo positum, multo vero magis quod id ipsum, quod non credere modo dictus erat Agoratus, continuo tanquam eius sententia profertur. Nam quomodo, qui non hoc solum putat *ἐπ' αὐτοφώρῳ* esse, si quis vel fuste vel gladio aliquem percusserit, is iam rem ita dici potest interpretari, ut, quoniam non exstitit qui illos viros percuteret sive iugularet, eorum percussorem contenderit esse neminem? Quae tam vehementer inter se discrepant, ut ne data opera quidem in unum iungi componique possint. Bakius cui solum *οἴεται* bilem movit, quique in scholic. hypomn. vol. II. p. 276 *δύναται* corrigere in promptu ait esse (ut sit *non hoc tantum valet ea formula*), quid rei esset non penitus perspexit. Haec enim correctio sic demum aliquam veri speciem haberet, si mox etiam *ἔκ γε τούτου τοῦ λόγου* pro *ἔκ γε τοῦ σοῦ λόγου* corrigeres. Sed voc. *οἴεται* etsi mihi quoque videtur corruptum esse, tamen haud scio an propius a vero absis, si mecum corrigas *οὐ γὰρ δήπου τοῦτο μόνον οἴει τὸ ἐπ' αὐτοφώρῳ*, deinde vero post *ἀπέσφαξεν* punctum colloces: nam verbis *ἀλλ' ἀναγκασθέντες ὑπὸ τῆς σῆς ἀπογραφῆς ἀπέθανον* argumentum ab ipso oratore Agorati ratiocinationi oppositum continetur.

§. 90. *εἰ μὲν οὖν οὗτος μὲν ἐν ἄστει, ἡμεῖς δ' ἐν Πειραιεῖ ἦμεν, εἶχόν τινα λόγον αὐτῷ αἱ συνθῆκαι· νῦν δὲ καὶ οὗτος ἐν Πειραιεῖ ἦν καὶ ἐγὼ καὶ Διονύσιος καὶ οὗτοι ἅπαντες οἱ τοῦτον τιμωρούμενοι, ὥστε οὐκ ἔστιν ἡμῖν ἐμποδὼν οὐδέν· οὐδένα γὰρ ὅρκον οἱ ἐν Πειραιεῖ τοῖς ἐν ἄστει ὤμοσαν.* Extrema verba quomodo sananda sint incertum est. Certe quod certatim Schottus, Palmerius, Faber proposuerunt *οἱ ἐν Πειραιεῖ τοῖς ἐν Πειραιεῖ*, cur praestet coniecturis aut Marklandi *οἱ ἐν Πειραιεῖ τοῖς οὐκ ἐν ἄστει* aut Baiteri *οἱ ἐν Πειραιεῖ ἢ τοῖς ἐν ἄστει*, quippe idem ea via qua nunc quidem

in emendando Lysia maxime incedendum esse scimus efficientibus, fateor non assequor. Quas coniecturas vix erat cur novis cumularet Scheibius, qui nunc quidem *τοῖς ἐν Πειραιεῖ, ἀλλὰ τοῖς ἐν ἄστει* vel *τοῖς ἐν ταὐτῷ* scribendum esse suspicatur. Sed in eis quoque quae proxime praecedunt verbis invitis libris novatum aliquid est ab editoribus nescio quam recte. In libris est enim *ὥστε οὐκ ἔστιν ἡμῖν ἐμποδών*. Reiskio auctore *οὐδέν* editores recentiores excepto Foertschio quod sciam omnes addiderunt, idque facile sane, quum *οὐδένα* sequatur, potuit excidere. Sed falsa haec est conclusio. Nam si pacta conventa ad Agoratum nihil pertinebant, sequitur non ut nihil omnino, sed tantum modo ut pacta conventa impedimento non fuerint. Sed etiam Foertschius, qui vulgatam defendit in comment. crit. de locis nonnullis Lysiae et Demosthenis p. 11 ita, ut in his verbis subiectum ipse Agoratus sit, vereor ne conferat in Lysiam quod non recte cogitatum est. Nam in ultione petenda impedimento actori esse ut recte ea dici possint omnia, quae ad se excusandum ab reo afferuntur, tamen ipse reus quo iure dici possit frustra sane quaeras. Immo ad sola pacta conventa hoc loco provocare Agoratus dicitur: itaque noli dubitare quin *ὥστε οὐκ εἰσὶν (αἱ συνθῆκαι) ἡμῖν ἐμποδών* corrigendum sit, quo fit ut, quod inchoavit propositio (§. 89 *ἔπειτα τοὺς ὅρκους καὶ τὰς συνθήκας οὐδὲν ἡγοῦμαι προσήκειν ἡμῖν πρὸς τοῦτον*), absolvat iam conclusio.

Restat ut quo eventu hoc anno de praemio eruditionis certaverint commilitones, quaeque nova in proximum annum proposita sint argumenta indicetur.

Ac Theologorum quidem Ordini, qui *Hilarii Pictaviensis de persona Christi sententiam* explicari iusserat, una tradita est dissertatio, cuius in

fronte illud Hilarii (de Trin. II, 10) inscriptum est: *incipe, procurre, persiste: etsi non perventurum sciam, tamen gratulabor profecturum.* Auctor eius rem suam ab omni quidem parte consideravit, apte disposuit, diligenter tractavit) copiose exposuit, de aliorum sententiis et recte et modeste disseruit, neque quae aliena sunt immiscuit: at vero neque temporis, quo vixit Hilarius, indolem satis perspectam habuit, neque singula, quae recte disputavit, ad rei cardinem satis rettulit, neque dicendi genere usus est satis expedito. Quapropter Ordo dissertationem praemio dignam habere sane non potuit, at tamen eius auctorem ad beneficium in ipsum conferendum summis rerum nostrarum academicarum curatoribus commendare decrevit. Quum vero resignata scida prodiret nomen scriptoris, qui academiae nostrae civibus per annum proximum adscriptus non fuisset, non potuit Ordo facere quin decretum hoc rescinderet.

Iurisconsultorum Ordo, qui *de natura fideicommissi familiae ex sententia iuris Romani* disseri voluerat, item unam tantum accepit dissertationem. Quam qui scripsit etsi, quoniam neglectis eis quae alii de eadem re commentati sunt non satis alte in argumentum propositum intravit, praetereaque latino sermone usus est parum emendato, non ipso praemio ornari potuit, tamen ob diligentiam in rem impensam, quodque nullis adminiculis, sed, ut dicitur, suo Marte verum indagare studuit, dignus Ordini visus est quem alicuius laboris fructus percipiendi caussa summis rerum nostrarum academicarum curatoribus commendaret. Aperta scida repertus est

ALBERTUS GUILIELMUS DE GROENING
Bremensis, iuris studiosus.

Medicorum Ordo quam proposuerat quaestionem nemo exstitit qui solveret.

Philosophorum Ordini traditae sunt dissertationes tres, philosophicae duae, una physica.

Atque illarum quidem auctor eius, quae verbis *γνώσεσθε τὴν ἀλήθειαν, καὶ ἡ ἀλήθεια ἐλευθερώσει ὑμᾶς* insignita est, etsi non ea prorsus qua debebat ratione propositum argumentum interpretatus est, neque in parte historica atque critica tractanda ita, ut nunquam erravisse dici possit, versatus est, tamen eam partem, quae agit de ipsa libertatis moralis notione, tam recte pertractavit tamque clare et presse et eleganter expo-

4

suit, ut ingenii pariter atque studii laudem maximam meruerit. Hunc igitur ipso praemio ornare Ordo non dubitavit. Reclusa scida inventus est

CHRISTIANUS FRIDERICUS DITTES
Irfersgruenensis, philosophiae studiosus.

Altera dicto *nil aliud a voluntate est caussa totius volitionis in voluntate* inscripta, praeterquam quod in ea parte, quam modo in altera laudavimus, ad illam omnino non accessit, non tam confecta atque absoluta quam inchoata tantum et quasi adumbrata est: nihilo minus quum ipsa quoque talis esset, quae studium rei accuratum ac diligentiam laudabilem testaretur, eiusque auctor propositum argumentum recte et perspexerit et tractaverit, hunc quoque, licet post praefinitam diem demum aliquanto dissertationem tradidisset, tamen et publica laude dignum Ordo iudicavit et beneficii alicuius percipiendi caussa summis rerum nostrarum academicarum curatoribus commendare decrevit. Aperta scida prodiit

FRIDERICUS HERMANNUS LUECKE
Dresdensis, theologiae studiosus.

Tertiam qui scripsit ad solvendam quaestionem physicam: *welche Veränderungen erleiden die durch Berührung heterogener Leiter entstehenden elektromotorischen Kräfte durch Temperaturveränderungen?* is opus satis operosum tam diligenter atque pertinsciter tractavit, difficultates cum ipsa re coniunctas tanto studio superavit, quaeque invenerat tam clare ac prudenter exposuit, ut praemium ei deferre Ordo non dubitaverit. Est is

GUILIELMUS GEORGIUS DE ZAHN
Lipsiensis, matheseos studiosus.

Iam in proximum annum proposita argumenta indicanda sunt.

Ordo Theologorum *in varios Palaestinae locos, ubi Hebraei sacra fecerint, historice inquiri* iubet.

Ordo Iurisconsultorum *de iure accrescendi collegatariorum* disputari vult.

Ordo Medicorum argumentum iam superiore anno propositum in proximum prorogavit. Est autem hoc: *Quae de coagulorum formatione intra vasa sanguifera non violata eorumque commutationibus et sequelis*

innotuerunt, ea recentiore tempore viris doctis haud parvi momenti visa sunt, neque tamen ab antiquioribus medicis omnino neglecta atque praetermissa. Postulatur igitur, ut observationes hac de re priore maxime tempore factae colligantur et cum observationibus et experimentis recens factis comparentur, utque quae de ea cogitata et disputata sunt, iudicio ac censurae submittantur, additis, si fieri possit, propriis experimentis et observationibus.

Ordinis Philosophorum classes argumenta proponunt haec:

I. Ueber die Beschaffenheit, die Machtbefugniss und den Geschäftsgang des deutschen Reichstags im vorigen Jahrhundert.

II. Welche Fortschritte insbesondere der ethischen und ästhetischen Speculation sind innerhalb der von Kant angebahnten Richtung durch Schiller's philosophische Arbeiten bezeichnet und wie bethätigen sich diese Fortschritte in den nachfolgenden Entwickelungen der Philosophie?

III. Welche Aehnlichkeiten und Verschiedenheiten finden sich zwischen dem alten Mercantilsysteme (etwa von Schröder's oder von Justi's) und der neueren Schutztheorie Fr. List's?

His in argumentis pertractandis qui commilitonum operam suam collocare et ingenium exercere volent, rogamus ut scripta sua, addita obsignata scida nomen auctoris continente eodemque quo scriptum dicto insignita, ante kalendas Augustas decanis tradant.

P. P. pridie kal. Novembres a. MDCCCLIX.

LIPSIAE

TYPIS A. EDELMANNI, TYPOGR. ACAD.